

157.

Schiffen.

his.



V

0011

(alt. Nr. 393.)

Sammelband von 57 Schriften theol.,
philos. u. jurist. Inhalts.
von Meier, J. Th.

P. VII. 89.



DISPUTATIO METAPHYSICA 53
DE
ESSENTIA, EXI-
STENTIA ET SVB-
SISTENTIA

QVAM

ADIVVANTE DEO

*Amplissimi Ordinis Philosophici in illustri ad
Elmum Julia permissu*

PRÆSIDE

M. IOHANNES LATERMANNUS
COBURGO-FRANCO,

Pro viribus defendet

DANIEL BROMBERGERVS
Nattendorffio-Lunenburgicus.

In auditorio novi Iulii majori

ad diem XIX. Martii.

•••••) (•••••

HELMESTADI,
Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.

CID IO C XLV.



V I R O

Amplissimo, Prudentissimo & Consultissimo
DN. VVILHELMO VVVLKOVIO,
I. V. D., inclutæ Reip. Luneburgensis Con-
suli & Syndico meritissimo.

V T E T

*Reverendis, Præstantissimis & Doctissi-
mis Viris.*

DN. FRANCISCO OTTONI BROMBER-
GERO, Pastori Barummeni,

DN. VVILHELMO BROMBERGERO
Pastori Nattendorfiensi,

DN. HENRICO BERTRAMO, Pastro-
ri Altenstadiensi.

*Patrõno, Parenti & Promotoribus suis omni ob-
servantia colendis*

Exercitium hoc Academicum

dedicat & offert

Daniel Brombergerus Nat-
tendorfiensis.



CVM DEO.

T H E S I S I.



Disciplina Metaphysica, quæ inter omnes luminis naturæ beneficiò cognitatas principem locum tenet ac propterea primæ Philosophiæ nomine venit, inde etiam optimo jure commendatur, quòd communissimas rerum notiones ac proinde etiam universalissimorum terminorum, qui notionum illarum indices sunt, accuratas explicationes tradit, & hinc omnibus in universum aliis disciplinis præsidio partim, partim subsidio est longè firmissimo. Patet id primum in disciplinis Philosophicis, quæ sub illa, tamquam regina, militant. Physicus in vestibulo statim, ubi de principiis rerum naturalium agit, Metaphysici personam inducere opus habet: ad istius enim forum pertinet accurata principiorum pertractatio, ut ipse Aristoteles docet. Philosophus porro practicus, ubi itidem in initio statim ad doctrinam de fine, subjecto & mediis omnia se revocaturum promittit, communem notionem finis, quid item bonum transcendentalè sit, ex Metaphysicis repetere necesse habet, ut ita, quantum morale bonum à transcendentali abeat, ostendere possit.

II. Præterea Mathematici discipulus ne principia quidem (qualia sunt: Totum est majus suâ parte, & similia) accuratè intelligere potest, nisi cognitionem eorum ante ex Metaph. hauserit, aut magister saltem Metaphysici partes sibi sumserit ipsiq; terminos illos explicatos dederit. Notanter dico, accuratè principia illa intelligi non



posse: nam confusam & qualemcunque cognitionem omnibus suo modo naturalem esse, notum est. Logicum denique complura habitu Metaph. exponere, omnes norunt, qui januam illam bonæ eruditionis ingressi sunt, & vel rudimenta saltem Metaphysices perceperunt. Et ne de substantia & accidente, privatione item & aliis, quorum paulò accuratior cognitio ex Metaph. omnino petenda est, quicquam dicamus, omnis prædicamentorum doctrina, ut ea præsertim à posterioribus Logicis paulò operosius traditur, ex Metaph. mutuò sumitur. Ista etiam Logices pars, quæ Topica inscribitur & dialecticum disputatorem instruit, maximam partem nil nisi congeries propositionum est ex Metaph. depromptarum. Vnde princeps Metaphysicorum nostri ævi, Franciscus Suarez, cum disciplinam hanc, etiamsi ordine doctrinæ secundum se spectato cæteris præmittenda sit, ex communitamen usu, inscriptione Aristotelis, Thomæ item & Avicennæ sententia postremum meritò locum sibi vindicare docuisset, hæc subjungit: *Loquendo ordine quoad nos, non semper necesse est, hanc scientiam aliis præmitti: semper tamen supponuntur aliqua principia huius scientiæ, vel termini Metaphysici, quatenus aliquo modo cognosci possunt virtute naturalis luminis intellectus, & prout satis est ad discurrendum & progrediendum in aliis scientiis, quamvis non tam exactè & perfectè, sicut fit comparat à hac scientiâ.*

Disp. Met.
lib. sect. 4.
n. 10.

III. Quòd si porro ad superiores disciplinas adscendamus, ibi quoque usus hujus disciplinæ est manifestissimus, cum earum nulla communissimis illis rerum rationibus carere queat. Id quod cum primis videre est in sancta Theologia, omnium disciplinarum summa & nobilissima: ejus enim nec magister docere nec auditor discere potest, quòd Scriptura fidei & totius Theologiæ principium

pium sit, unde omnes conclusiones Theologicae deducantur & innotescant; quæ justificationis causa efficiens sit, quæ formalis, quæ item principalis, quæ instrumentalis, quòd peccatum, ut peccatum, non vera aliqua res vel positivum quid sed privatio & defectus sit, adeoque in Deum, utpote omnium rerum seu entium positivorum & non defectuum ac privationum autorem, referri nequeat; hæc, inquam, & sexcenta similia nec ille docere, nec iste discere potest, nisi uterque terminorum illorum notitiâ instructus sit. Duo quoque summa mysteria, Trinitatis nempe & Incarnationis Filii Dei (ad veritatem eorû pressius proponendam & hæreticorum fraudes felicius detegendas, ut in Theologorum scholis docetur) non nudius tertius sed à tot jam seculis tam à Græcis quàm Latinis doctoribus paucis hisce terminis inclusa sunt, quòd in illo vid. sit una individua natura vel essentia & tria supposita vel tres personæ, sive, quòd una natura ibi subsistat tribus subsistentiis vel hypostasibus; in isto autem duæ totæ naturæ unitæ sint secundum hypostasim, seu, subsistant ac terminentur unâ subsistentiâ vel personalitate Filii Dei. Quid verò natura vel essentia sit, quid existentia, quid item suppositum, quid subsistentia, quid persona, quomodo essentia ab existentia, & hæc vicissim à subsistentia distinguatur, in sola Metaphysica accuratè docetur. Labet igitur in terminorum istorum genuinam & apud eruditos receptam acceptionem nunc inquirere.

IV. Priusquam autem rem ipsam aggredimur, duæ, aut summum tres, in scholis tritissimæ distinctiones præmittendæ sunt, cum iis præmissis subsequentiū intellectus facilior futurus sit. Et primò quidem distinguimus inter ens reale & rationis. Ens reale dicitur, quod est vel

A 3,

esse



esse potest in natura rerum citra omnem operationem mentis. Ita lignum dicitur verum ac reale ens, quia essentiam suam habet ac retinet, quamvis intellectus de eo cogitationem non suscipiat. Dicat quis, non omnibus numeris absolutam esse descriptionem istam, cum etiam negationibus & privationibus accommodari possit: lapidem enim non esse lignum, etiamsi negationem illam nemo intellectu suo concipiat, Petrum item (si ita ponatur) esse cæcum, quamquam de cæcitate ejus nemo hominum cogitet. Hic scrupulus si plana ac simplici ratione ei, cui hæret, eximendus sit, non abs re fortassis fuerit, si additæ descriptioni addatur aliquid, & ita dicatur: Ens reale est, quod citra omnem intellectus operationem est in rerum natura positivè, seu ita, ut ponat aliquid. Quo additamento negationes & privationes sufficienter excluduntur, cum istæ ita sint, ut nihil ponant, sed tollant potius ac removeant. Hæc, inquam, facilis fuerit & expedita ratio ista explanandi. Sed accuratiùs sine dubio dicitur, in iis: Petrus est cæcus, Paulus est surdus; π Esse veritatem propositionis tantum & non reale Esse importare. Negationes autem per abusum vocabuli *esse* dicuntur, cum rigorosè loquendo contradictionem involvere videatur, si negationes *esse* dicantur. Sed paucitas vocabulorum facit, ut de privativis & negativis positivè loqui necesse habeamus.

V. Ens autem rationis non est omne id, quod ab intellectu producit & effectivè pendet: ita enim omnia artefacta, habitus item, quorum causæ efficientes sunt actus, ipsi deniq; actus intellectus entibus rationis annumerandi essent; Nec quod intellectui, tamquam subjecto suo, inhæret: eo nomine enim habitus iterum & species intelligibiles in censum eorundem venirent; Nec denique,

que, quod intellectui obijcitur cognoscendum: ita enim res omnes entia rationis forent; sed id demum ens rationis est, quod intellectus fingit vel cogitat esse aliquid, cum in re & vero nihil sit, sive, quod objective tantum est in intellectu. Ita fingit intellectus noster, hominem esse subiectum, predicatum, cum a parte rei homo tale quid non sit. Distinguendum autem hic necessario inter ipsam fictionem & id, quod fingitur: illa enim, cum actus intellectus sit, ens etiam reale est & ad predicamentum Actionis pertinet; id autem, quod fingit intellectus, ens rationis proprie est. Ita aliud est actus, quo intellectus noster animal nunc ad modum generis, nunc ad modum subiecti vel predicati concipit; & hic actus mentalis est ens reale. Aliud verò est ipsum ens rationis, quod per illum actum intellectus concipitur esse, quum non sit nisi tantum objective in intellectu. Aliud deniq; est res sive notio prima, ut: homo, animal &c.

VI. Porro Ens alio modo participialiter, ut loquuntur, sumitur, & denotat id, quod actu est in rerum natura. Tale ens est rosa, quando in Majo existit; homo, quando existit; leo, quando existit. Alio modo nominaliter accipitur ens, & tunc rem ratione essentialis suæ significat, non habita ratione actualis existentia. Et hoc modo rosa quocunq; tempore ens est, homo item & leo, sive existant, sive non existant. Habet se ens, quod duplicem hanc acceptionem attinet, planè ut vox *vivens*: hæc enim, quando ad modum participij sumitur, id, quod actu vivit, importat; ad modum nominis autem capta id omne denotat, quod naturam habet, ut vivat, etsi actu non vivat. Hoc modo Petrus Fonseca doctrinam hanc illustrat, qui etiam id observari vult, *nomen entis, et si ex prima impositione solam priorem significationem habeat, ex usu tamen Philosophorum (quorum sit, absolute de rebus disserere, sive existant,*

IV. Met. c.
2. quæst. 2.
lect. 2.



sive non) ad solam pene posteriorem significationem traductum esse, accommodato ad priorem significationem participio verbi *Exi-
sto*. Haecenus Fonseca.

Disp. Met.
2. lect. 4.

VII. Hinc alia oritur distinctio, quâ ens vel in actu dicitur, vel in potentia. Ens in actu dicitur, quod existit; Ens in potentia, quod non existit, sed potest esse, eique non repugnat existere. Posteriori hoc modo coelum, antequam à Deo productum est, ens fuit: priori autem modo, ex quo cœpit existere. Dixeris fortasse, eandem prorsum videri hanc cum priori distinctionem. Veruntamen notat Suarez, ejusmodi discrimen inter ens in potentia & vi nominis sumtum intervenire, quale inter abstractionem præcisivam & negativam intercedit. Ens nempe in potentia denotat quidem id, quod potest esse, sed negat simul existentiam seu actum existendi exercitum, quem vocant: Ens autem nominaliter acceptum actum existendi non negat, sed præscindit. Breviter. Ens nominaliter acceptum omne verum ac reale ens complectitur, sive illud existat, sive non existat: ens autem in potentia id, quod actu est, excludit.

I. c. IX. Sed his ita præmissis, quæritur jam, quidnam essentia, quæ formalis ratio entis dicitur, sit? Suarez duas affert descriptiones. Et primò quidē negativè eam ita describit, quòd sit id, *quod in sese nullam involvit repugnantiam*. Deinde affirmativè ita, quòd sit *principium vel radix realium operationum vel effectuum*. Veruntamen alijs neutra harum descriptionum probatur; Non posterior, quòd admodum familiare illud *πρόγεγονα*, quod petitio principij in Logicorum scholis appellatur, in ea occurrat; siquidem quæstio de realibus operationibus & effectibus, quid vid. operationes & effectus *reales* sint, recurrat. Nec prior alicujus momenti esse dicitur: quamquam enim non-

non-ens ex repugnantia terminorum innotescat, haud ta-
men illico entis naturam per non-repugnantiam eorum
dem intelligi, dicunt. Planè sicut ex mutua terminorum
pugna cognoscitur quidem hominem irrationalem nihil
esse; veruntamen inde non manifestum fit, hominem esse
revera animal rationale seu verum & reale ens, quòd ter-
mini isti sibi inter se non adversentur. Hæc illi. Qui etiam
nihil esse dicunt, quò, quid vera & realis essentia sit, ex-
plicari queat, sed per se id notum intellectui esse statim at-
que vocabulum intelligatur.

IX. Alij essentiam dicunt esse primum rei uniuscu-
jusque conceptum. Nos distinguimus inter essentiam,
prout denominat ens in actu sumtum, & prout deno-
minat idem in potentia acceptum. Priori modo
eam id esse dicimus, quod actu ponit rem, extra nihil
eique intrinsecè & formaliter dat, ut verè & realiter a-
liquid sit atq; actu existat. Hæc est actualis essentia, quæ
cum existentia coincidit & simpliciter loquendo sola est
vera ac realis essentia. Vnde S. Thomas: *Secundùm hoc* 1. part.
simpliciter aliquid dicitur ens, secundùm quod primò discernitur quæst. 5.
ab eo, quod est in potentia tantùm. art. 1. ad 2. Posteriori autem modo
essentiam in nuda non-repugnantia seu aptitudine exi-
stendi ponimus: Ita essentia mundi producti est id,
quod intrinsecè ipsi dat, ut aliquid sit; essentia autem
mundi adhuc producendi (ponamus ita) est nihil aliud,
quàm non-repugnantia seu aptitudo ad hoc, ut mundus,
qui hætenus in se nihil est, existat seu simpliciter sit, nec
aliã nisi nominis explicatione opus est.

X. Definitã autem seu quomodocunq; potiùs de-
lineatã essentiæ & existentie ratione, ad nobilem & bene
vexatam quæstionem de discrimine utriusq; accedimus.

B

Cujus



h. 1.

Cujus difficultas inde patet, quod doctores, ubi eam tractant, in diversas planè abeunt sententias. Et Thomas quidem, ut hæc multis exponunt Fonseca & Suarez, existentiam rem quandam omnino realiter ab entitate essentiali creatæ distinctam esse statuit, eamq; sententiam omnes ferè secuti sunt antiquiores Thomistæ. Scotus autem, Hervéus & ex recentioribus Dominicus Soto cum modernis aliis modalem tantum distinctionem hinc agnoverunt. Alexander deniq; Alensis, Aureolus, Durandus, Gabriel cum cæteris Nominalibus & complures alij magno numero à Suaresio & Mendoza citati essentiam & existentiam creaturæ ratione tantum distingui censuerunt. Quam ultimam sententiam ipse etiam Suarez, sequitur, eandemq; à Fonseca quoque in re ipsa teneri ait, et si is, secundam se sententiam sequi, verbis profiteatur. Quod sanè Fonseca inspicienti verbaque ipsius paullo attentius consideranti dubium esse nequit. Eandem sententiam tuetur Benedictus Pererius. Mendoza sequitur Suarezium.

l. 6. Phys.
c. 15.

XI. Ut autem ipsa quæstio & *περὶ ὄντων* rectè intelligatur, notandum, comparisonem hinc institui inter existentiam & essentiam actualem, quæ sola, ut diximus, veram atq; realem entitatem, simpliciter loquendo, importat: illa enim, unde ens in potentia denominatione accipit, non positiva aliqua res sed in se nihil omnino est, adeoq; sicut ens in potentia ab ente in actu tamquam non-ens ab ente vero ac reali, ita existentia quoque ab essentia illa, quæ in potentia saltem est, distinguitur. Tantum observetur, non-ens ex jure oppositionis bifariam sumi, vel enim opponitur enti nominaliter accepto, & significat id, quod per mutuam rerum & terminorum pugnam esse prorsum non potest. Talia non-entia sunt Deus finitus,
homo

homo irrationalis, animal sensus expers; vel opponitur
enti participialiter sumto, & ita dicit id quod actu quidem
verum & reale Esse (quod Suarez intrinsecum, Eustachius
autem à Sancto Paulo subjectivum appellant,) non ha-
bet, capax tamen illius est, adeoque esse aliquid potest.
Vnde Aristoteles: *Non entium quadam potentia sunt; non* 9. Met. 1.
autem sunt, quia ἐντελέχεια (h. e. actu) non sunt. Hoc modo
rosa in hyeme non-ens est, angelus item, quem Deus ad-
huc producere potest, etsi nunquam fortassis productu-
rus sit. Talia Esse tantum habent virtuale seu objectivum,
inde ita dictum, quod potentia alicui obijci queat.

XII. Solidum autem fundamentum, quo tertia
illa, eaq; omni dubio procul verissima, sententia nititur,
hoc est, quod nulla entitas per aliquid à se realiter distin-
ctum in ratione entis realis & actualis constitui possit, si-
ve, quod nulla res per aliquid à se distinctum intrinsecè &
formaliter ens reale actuale esse queat, ut id ex terminis
manifestum. Existencia autem, ut omnes fatentur, est
illud ipsum, quo entitas aliqua primò ac immediatè con-
stituitur extra suas causas, ac desinit esse nihil, & intrin-
secè vel subjectivè incipit esse aliquid. Quod si igitur exi-
stencia ab essentia actuali, ut res à re, distincta foret, utra-
que distinctam quoq; entitatem haberet, adeoq; neutra
alteram in ratione entis intrinsecè constitueret. Quam ob
causam existencia etiam modus essentia actualis, adeoq;
ab eadem tamquam modus rei à re distincta, dici nequit:
modus enim rei rem intrinsecè non constituit, sed afficit
potiùs, ut loquuntur, & modificat. Res præterea à modo
suo potest separari. Ita unio, quâ corpori anima unitur,
non facit, ut anima & corpus intrinsecè aliquid sint; ani-
ma quoq; ab unione illa separari potest. Existencia autem
& facit, ut res in se aliquid sit, nec ab essentia actuali sepa-

rari ulla ratione potest: manifestissimam enim contradic-
tionem involvit, si dicas, Petrum actu esse & non existere.
Et quomodo à se invicem divelli queant, quæ idem om-
nino sunt? Ex re igitur ipsa patet, aliam hinc quam ratio-
nis distinctionem locum habere non posse. Vbi tamen
id adhuc observandum, eam non gratis confictam esse,
sed gaudere suo in re fundamento. Res vid. creatæ ita
sunt, ut possint etiam non esse, ita non sunt, ut possint esse.
Hinc fit, ut nos essentiam nunc ut existentem, prout actu
nimirum est, nunc simpliciter & præcisâ omni actualitate
eandem, velut potentiale quid, concipiamus. Sed malo
hanc rem Suarezij quam meis verbis proponere. Ille ita:

disp. Met.
31. sect. 6.
n. 23.

*Dicendum est, eandem rem esse essentiam & existentiam: concipi-
autem sub ratione essentia, quatenus ratione ejus constituitur res
sub tali genere & specie. Est enim essentia--- id, quò primò ali-
quid constituitur intra latitudinem entis realis, ut distinguitur ab
ente ficto.--- At verò hæc eadem res concipitur sub ratione exi-
stentia, quatenus est ratio essendi in rerum natura & extra causas.
Ita ibi.*

XIII. Cæterum qui difficultates, quibus jam con-
firmata sententia premitur, alicujus ponderis & momen-
ti dixerit, haud falsus fuerit. Primò enim essentia ab exi-
stentia omnino videtur separari posse, cum essentia rei
semper maneat, sive existentia adsit, sive non adsit. Ita
homo animal rationale est & cum nondum existit, &
quando existit, & cum existere desijt. Vnde etiam tritif-
simum illud in scholis: *Essentia rerum sunt aterna*. Videtur
igitur homo retinere essentiam suam, cum existentia de-
stituitur. Quæ autem separantur, præ cæteris omnibus
quam maximè realiter distinguuntur. Deinde essentia
necessarium quid est, existentia autem contingens. Sic
homo necessariò animal rationale est, ita, ut ne Deus qui-
dem,

dem, volens producere hominem, per absolutam suam
potentiam aliud quid quàm animal rationis compos
producere possit, ut pulchrè habet Mendoza. Idem autem
homo contingenter tantùm existit. Denique si essentia
& existentia in creaturis idem prorsus sunt, nobile illud
discrimen inter Deum & entia ab eo dependentia è me-
dio sublaturum erit, in eo consistens, quòd in Deo existen-
tia de essentia sit, in creatis rebus non item, sive, quòd
Deus sit suum Esse, creatura haudquaquam. Hæ sunt
præcipuæ rationes, quæ ut tertiam sententiam penitus
labefactare, ita primam illam firmiter primâ fronte stabi-
lire videntur. Sed tantæ tamen non sunt, ut ijs satisfieri
nequeat.

Disp. Met.
8. sect. 1.

XIV. Et ut ordine retrogrado procedamus ac de
postrema ratione primo loco dicamus, falsum est, propte-
rea discrimen illud inter Deum & creaturas everri. Deus
enim ita est suum Esse, ut à nullo penitus dependeat, sed
per semetipsum sit; creatura autem existens suum Esse ita
est, ut illud non à se & per semetipsam habeat, sed depen-
denter à Deo, qui eam libera voluntate sua produxit. Un-
de etiam existentia Dei ita de essentia ejus est, ut necessa-
riò & semper sit; existentia autem creaturæ de essentia e-
jusdem contingenter tantùm est & quando existit. No-
tanter dico, quando existit: potest enim actu existendi
carere creatura, & tum existentia de essentia ejus non est,
imò tum essentia & existentia in se nihil omnino sunt. In
Deum autem id non cadit, sed is ex necessitate naturæ seu
per essentiam semper est & existit. Et hæc ad ultimum.
Ad id, quod ultimo proximum est, hac ratione responde-
tur. Ens dependens necessariam quidem cum iis, quæ ef-
sentiam ejus constituunt, connexionem habet; at enim
propterea non necessariò est, si π esse pro Esse actuali ca-

B 3

pias,



pias, ut nos hinc accipimus. Vnde non absolutè sed cum conditione tantùm dicitur: Si Deus efficere velit, ut homo existat, non lignum aut lapidem sed animal rationis particeps producere necesse habet. Essentia igitur actualis non minùs contingens quid est, quàm existentia.

XV. Ad primum denique dicitur, essentiam actualem, quam nos semper hinc intelligimus, ab existentia ob omnimodam identitatem secundùm rem distingui non posse, nedum separari. Quod autem ad regulam illam in scholis usitatam attinet, eam de actuali ullius creaturæ essentia inter Christianos Philosophos nemo unquam intellexit, indeque Aristotelis errorem de æternitate mundi omnes repudiarunt. Nonnulli equidem non tam apodicticè quàm problematicè Philosophum quæstionem illam disputasse censent, adsertioni suæ exprimi Topicorum capite nono (secundùm Pacij enumerationem undecimo) fidem facientes, ubi Aristoteles quæstionem, *Vtrum mundus sit æternus, an non?* inter problemata disertè recenset. Alij eundem Philosophum nullam quæstionem aliam tantâ diligentia tractasse, nullam sententiam tanto argumentorum apparatu adstruxisse dicunt, atque istam. Nos litem alienam non facimus nostram. Videatur Benedictus Pererius, cujus ista sunt: *Ineptum & iniquum est, quod uno & alieno loco, quod obiter, quod exempli tantùm causa dicitur ad Aristotele, velle, id ceu magnum argumentum valere contra ea, quæ idem Aristot. aliis permultis locis, ex professo, propriè, distinctè, affirmatè, asseveranter, & copiosè docuit. Deinde ego arbitror vocari ab Aristot. illo loco problema dialecticum (Vtrum mundus sit æternus) non quòd ea ipsa de re ambigeret, vel quòd non ipse putaret, id à se necessariis rationibus fuisse demonstratum, sed propter varias ea de re Philosophorum sententias, aliis aientibus, aliis autem negantibus, mundum es-*

Præm l.
15. Phys.

dum esse aeternum. Ita negativam tuetur &, quod ex Topicis objicitur, diluit Benedictus Pererius. Nos obiter saltem ea attulimus.

XVI. Ut autem eò redeamus, unde digressi sumus, canonem in medium adductum de essentia, prout veram entitatem dicit & ab actuali existendi exercitio præscisa est, intelligendum dicimus. Diversimode autem à diversis explicatur. Alii de essentia illius possibilitate interpretantur, quia essentia rerum ab aeterno fuerunt possibiles. Ita Mendoza & Vatzquetz. Alii, & plerique quidem, de essentia cum eo, cujus est essentia, connexion accipiunt. Ita docet cum antiquis Arabibus Albertus M., S. Thomas, Capreolus, Soncinas, Cajetanus & Ferrariensis, ut citantur à Francisco Svarez. Et suâ certè luce clarum est, connexiones prædicatorum essentialium (de accidentalibus res aliter se habet) cum essentiis esse aeternas. Ita perpetua connexio est inter angelum & spiritum, inter hominem item & animal rationale. Unde etiam ejusmodi propositiones: angelus est spiritus, homo est animal rationale, aeternæ veritatis sunt & dicuntur. Tantùm observetur, quod Svarez de copula est, per quam extrema in enunciationibus illis conjunguntur, opportunè monet. *Duobus enim modis accipi potest, inquit, primò, ut significat actualem & realem conjunctionem extremorum in re ipsa existentem, ita ut, cum dicitur: Homo est animal, significetur re ipsa ita esse. Secundò solum significat predicatum esse de ratione subjecti, sive extrema existant, sive non. In priore sensu veritas propositionum pendet sine dubio ab existentia extremorum. --- At verò in alio sensu propositiones sunt verae, etiamsi extrema non existant: & in eodem sunt necessaria & perpetua veritatis.* Hæc iterum ille.

l. c.

h. l.

disp. citatâ
sect. 12.

XVII. Idem pro singulari, quo pollet, mentis acmine



mine in communi illa doctorum explicatione studiosum
indagatorem veritatis acquiescere non posse videt, ac pro-
inde porro exponit, quid ista necessaria connexio extre-
morum non existentium sit? nam vel nihil vel aliquid
eam esse oportet. Respondet autem eam nihil aliud esse,
quàm identitatem extremorum, quæ in propositionibus
essentialibus & affirmativis conjunguntur. *Omnis enim*
veritas (verba ejus recito) *propositionis affirmativæ fundatur*
in aliqua extremorum identitate vel unitate, quæ licet à nobis con-
cipiatur complexo modo, & per modum conjunctionis prædicati
cum subjecto, tamen in re nihil est, præter ipsammet entitatem.
Addit identitatem illam non tantum in ente, quod actu
tale est, verum etiam in ente, quod potentiâ tale, reperiri.
Sicut nimirum homo existens & animal rationale in re
idem sunt, ita homo possibilis identitatem habet cum
animali proportionaliter, seu itidem quoad esse possibile,
sumtum. Identitas igitur illa in rebus existentibus po-
sitiva & realis est, in non-existentibus nihil quidem in se,
attamen possibilis est. Et talis ab æterno fuit.

XIIX. Porro ut essentia (in laxiori significatione
accepta) ita existentia quoque substantijs juxta atque ac-
cidentibus communis est: nec id esse aliter potest: idem
enim omnino sunt, ut demonstratum est. His autem
non obstantibus in substantijs duplicem vicissim existen-
tiam deprehendimus. Quod discrimen cum alibi usui
esse possit, merito observatur. Vna existentia cum es-
sentia substantiali coincidit, adeoque ad prædicamentum
Substantiæ pertinet; altera est existentia in loco seu cer-
to aliquo πῆ, quæ præsentia nomine venit & ad prædica-
mentum Vbi spectat. Quia etiam posterior à priore ma-
nat, fit inde, ut diversâ existente priore, diversa quoq; po-
sterior evadat existentia. Ita aliam essentiam, & propterea
existen-

existentiam substantialem, habet spiritus, aliam corpore-
um ens: inde alio modo spiritus alicubi est, alio corpus.
Et spiritus quidem ita est in suo vbi, ut sine ulla extensio-
ne (eâ enim caret) totus sit in toto & totus in qualibet
parte ejus; corpus autem ita, ut partes ejus partibus loci
commensurentur. Ita anima nostra tota est in toto cor-
pore & tota in qualibet ejus parte. Tota in capite, & tota
extra caput in pede. Eodem modo angelus quoq; & ipse
Deus existunt.

XIX. Non ignoramus equidem, in Deo essentiam
& immensitatem, seu presentiam in rebus omnibus, uti
cætera attributa divina unum idemque esse, adeoque ibi
duplicem existentiam non reperiri; verum, ut res ita
se habeat, noster tamen intellectus pro suo modulo non
aliter illa quam distinctis conceptibus apprehendit.
Stantibus autem his, ut certè stant, recto ralo, manifestæ
falsitatis convictus fuerit, qui ita dixerit: Quicquid to-
rum existit in re aliqua, illud non existit totum extra eam:
angelus enim totus est in superiori parte musei, & idem
totus quoque est in inferiori parte ejus, quam inferiorem
extra partem superiorem esse, quis indubium vocarit?
Angelus itaque, qui totus est in superiori parte musæi, to-
tus quoque extra eam existit. Ad eundem modum Deus
totus est Helmestadi, totus quoq; Constantinopoli, quæ
extra Helmestadium est. Totus igitur in Helmestadio
& totus extra illud existit. Probè sine dubio cavendum,
ne ejusmodi *παραδοξαις*, quæ non inauditæ tantum sunt sed
falsæ etiam & erroneæ in Philosophia, tamquam proba-
biles vel etiam ut indubitata principia alibi venditentur.
Id quod veritati illarum disciplinarum, in quas malum
pedem inferunt, non damnum tantum affert, sed ipsi
quoque Philosophiæ odium apud imperitos conciliat.

C

Doctis



Doctis pridem cautum est, ne errores malè philosophan-
tium Philosophiæ adscribantur.

XX. Cæterùm ut allati discriminis usus, de quo
diximus, pateat, in medium producemus argumentum
sic satis difficile, quod fortè non aliter, quàm distinctione
istâ adhibitâ solvi potest. Dicat quis ita: Quicquid ad
modum spiritûs existit adeoque existentiam spiritûs ha-
bet, idem quoque essentiam habet immateriatam & proin-
de spiritus est. Atqui quoddam corpus, quod per abso-
lutam Dei potentiam sine actuali extensione in pluribus
locis simul existit, (id quod nunc supponimus,) existen-
tiam spiritûs habet. Ergo quoddam corpus ita existens
immateriatum quid & propterea spiritus est. Conclusio-
nem nemo sani cerebri admittet, cum termini sese mutuò
evertant. Major autem nullo negotio inde probari potest,
quòd existentia & essentia idem sunt, ut supra ostensum
est. Minor denique ex terminis manifesta est. Corpus
autem ad istum modum existere posse, communi docto-
rum sententiâ nititur, quæ temerè reiici nec debet nec
potest; cum multi ut corporis ita mentis quoque oculi
multum & plus certè paucioribus aut unò videant. Tan-
tùm autem dicatur, majorem de existentia substantiali,
minorem de accidentaliloqui, & nodus erit dissolutus.
A priori existentia ad identitatem essentiæ valida est illa-
tio, non item à posteriori: hæc enim in rebus creatis ac-
cidens tantùm est, adeoque per interminatam Dei poten-
tiam à subjecto citra ullam ejus destructionem separari
potest. Illud etiam, priusquam hinc abeamus, vel insi-
nuasse saltem sufficiat, ἀπαιδευτων esse, si quis inter actum
præsentia primum & secundum distinguat: Præsentia
enim secundùm conceptum suum formalem non est prin-
cipium seu vis quæpiam operandi, multò minùs autem
opera-

operatio, sed existentia seu modus existendi, sicut diximus, a deo que actus primi & secundi capax planè non est. Res sunt mensura nostri intellectus, nò intellectus rerum: unde sicut non quilibet calceus cuilibet pedi ita nec quavis distinctio rei cuius aptari potest.

XXI. Hactenus de essentia & existentia. Videamus porro de subsistentia. Liberanda autem ante omnia est vox ab æquivocatione: nunc enim ad modum abstracti sumitur pro ratione subsistendi sive ultimo termino hypostatico (quòd Latinis subsistentia, id Græcis ὑπόστασις est) præcisè spectato, quò substantia in existendo completur; nunc autem in vi concreti accipitur & est ipsum suppositum seu res per se subsistens. Idem prorsus discrimen inter personam & personalitatem intercedit: illa enim per modum concreti totum suppositum intelligens denotat; ista autem ultimum tantum suppositi illius subsistendi terminum. Vnde homo non subsistit, quin sit persona; potest tamen propriam personalitate carere & ab alia sustentari. Præcipuè autem subsistentia priori modo spectata & prout terminum subsistendi dicit hinc venit consideranda; quamquam ipsius quoque suppositi natura ista occasione explicetur. Est etiam subsistentia, quæ in ipsa definitione & essentiali conceptu cuiusvis substantiæ, ut talis, includitur: omnis enim substantia est res, quæ per se subsistit. Hanc subsistentiam habet quælibet substantia, sive propriam sive alienam subsistentiam, quæ ultimum terminum notat, compleatur. Cui propterea istam contradistinctam esse, nemo non videt. Sed audiamus Eustachium à S. Paulo distinctè ista omnia ita proponentem. *Subsistere*, Part. 2. Met
inquit, *quinq; modis dicitur. Primo enim idem est ac verè & quæst. 7.*
realiter esse. Secundo idem est ac alteri quocunq; modo subesse,
quomodo in a de fundamentum subsistere dicitur. Tertio & magis



philosophicè accipitur pro esse per se, quatenus opponitur ei, quod dicitur esse in alio per modum accidentis: quomodo qualibet substantia sive completa sive incompleta dicitur subsistere. Quarto sumitur pro esse per se completè. --- Quintò maxime stricta accepti-
one subsistere sumitur pro esse per se completè & independenter ab alio, in quo subsistat, quomodo sola supposita dicuntur propriè subsistere. Hæc ille. Vbi inter varias significationes cum primis tertia & quinta notandæ veniunt. A quinta parum abit, si quicquam abit, quarta.

XXII. Ad rem porro propiùs accedentes ex superioribus repetimus, existentiam tam accidentibus quàm substantijs esse communem. Existere vid. præcisè consideratum nihil aliud dicit, quàm habere entitatem extra causas & nihilum positam, non connotatò, num per subsistentiam, an verò per inhærentiam ens istud, quod existere dicitur, essentiam suam in natura rerum tueatur.

Disp. Met. 34. sect. 4. Existere, inquit Suarez, ex se solum dicit habere entitatem extra causas & in rerum natura: unde de se indifferens est ad modum existendi innitendo alteri, ut sustentanti, & ad modum existendi per se sine dependentia ab aliquo sustentante. Quando autem res subsistere dicitur, eam per se & sine alio sustentante existere denotatur. Quando item aliquid alteri inhære dicitur, illud non per se sed alteri tamquam fulcro innitendo existere significatur. Hæ sunt contractiores existendi rationes, quarum illa subsistentia dicitur & substantijs, ista autem inhærentia nuncupatur, & accidentibus competit. Bene & significanter Philippus Durieu loquitur, quando substantiæ & accidentis naturam ita exponit & discriminat: *Substantia, inquit, est ens per se existens, ut: homo, lapis. Illud dicitur per se existere, quod ad sui naturalem existentiam non requirit subjectum inhærentionis. Accidentis autem est ens in alio existens, id est, quod ad sui naturalem existentiam requirit subje-*

Tract. 1.
Dial. part.
1. cap. 2.
art. 1.

subjectum inhesionis, ut: albedo, nigredo; Albedo enim non potest existere, nisi vel in nive, vel in lacte, vel in charta, vel in alio aliquo subjecto. Ita Dutrieu.

XXIII. Cæterum subsistentia, de qua jamjam loquebamur, est illa, quam paullo ante omnibus substantijs communem esse diximus, & nondum est terminus iste, qui substantias in existendo ultimam complet. Quamprimum vid. substantiam concipimus, conceptum rei, cuius natura sit, per se existere, nobis formamus. Fieri autem potest, ut substantia completa, quæ ad illum modum ens per se existens dicit, nihilominus ab alio in existendo sustentetur, non quidem tamquam à subjecto inhesionis (ita enim accidens foret,) sed tamquam ab ultimo termino substantiali, qui ultimus terminus facit, ut substantia actu & ultimam per se, h. e., sine omni ab alio sustentante dependentia existat. Vbi, ut discrimen inter duplicem subsistentiam, de quo jam loquimur, manifestius adhuc fiat, necessariò evolvenda est termini seu modi istius, *per se esse*, æquivocatio. Vno enim modo sumitur, prout excludit dependentiam ab alio sustentante, ut subjecto inhesionis, atq; ita substantiam contra accidens, ut loquuntur, distinguit & opponitur modo essendi in alio. Hoc sensu verum est, existentiam substantialem hunc modum *per se* actu includere & ad eum indifferentem non esse, cum per eum essentialiter constituatur. Alio autem modo sumitur, *per se*, ut dicit talem actualem essendi modum, qui prorsus excludit omnem dependentiam & unionem actualem cum aliquo sustentante. In hoc sensu existentia substantialis, (de creata loquimur,) quæ talis, hunc modum existendi *per se* non includit actu sed tantum aptitudine, & ad eum indifferens est indifferentiâ præcisivâ.

XXIV. Subsistentia igitur, ut breviter omnia con-

C 3

traha

trahamus, in suo conceptu formali ultimum illud per se existendi complementū notat, & ita non tam existentiam quā perfectam existentiae dicit: non illam, quae substantiam ab accidente discernit & dependentiam ab alio, ut à subjecto inhaesionis removet; sed quae substantiam (in qua est potentia ad complementum illud ultimum, qualis aliās est in re terminabili ad terminum) in existendo ultimatē terminat & dependentiā ab omni alio sustentante excludit, unde priorem illam existentiam per se seu subsistentiam haud incommodē fortassis non ultimam, posteriorem verò ultimam dixeris. Vbi tamen bene notandum est, priorem à posteriori ita distingui, nō quòd ulla substantia, quae priorem illam subsistentiam in conceptu suo involvit, actu & ultimatē existere possit sine omni posteriori, sed quod propriā sibi; secundum naturā suam debitā subsistentiā, quae ultimum terminum dicit, carere & ab aliena in existendo ultimatē compleri ac terminari possit. Vnde Suarez posteriorem illam, de qua diximus, naturae substantialis ad existendum per se indifferentiam non neutram esse notanter ait, sed praecisivam.

XXV. Controvertitur autem de eo, num solo rationis ductu discrimen inter naturam substantialem & ultimum ejus existendi terminum sit investigatum, nec ne?

Disp. Met.
11. sect. 3.

Disp. cit.
sect. 3.

Mendoza negativam tenet & propterea veteres Philosophos quaestionem illam ne attigisse quidem scribit. Suarez etiam opinatur, Aristotelem principium aliquod ad distinguendū suppositum à natura singulari non habuisse, ac proinde eundem ubiq; de individua substantia, quidditate, natura & supposito eodem modo locutum censet. Et meridiano certē sole clarius est, per incarnationem Filij Dei distinctè discrimen illud innotuisse; ibi enim subsistentia creata reapse à natura humana singulari sive individua

vidua separata fuit. Separata autem distincta esse, etiam illi norunt, qui, ut est in proverbio, nondum ære lavantur. Quicquid autem de his omnibus sit, fortassis tamen iniquus rerum censor haud fuerit, qui Aristoteli, utut distinctâ discriminis istius notitiâ caruerit & quòd duo illa ab invicem divelli queant, penitus ignoraverit, (de mysterio enim ne 2^o cognitum habuit) id tamen constituisse dixerit, subsistentiam nec ad individua substantiæ essentiam, nec ad necessarias ab ea promanantes proprietates pertinere, adeoq; multùm ab eadem differre. Cujus quidem rei, si non certum argumentum, conjectura saltem ex Posterioribus Analyticis capi potest, ubi Philosophus substantias, ut tales, nec ad primum modum dicendi per se (quòd ea, quæ essentiam constituunt, pertinent,) nec ad secundum (quòd proprietates spectant) retulit, sed peculiarem ijs dicendi modum per se adsignavit. Subsistentia igitur etiam ex Philosophi mente nec ipsam rei essentiam constituit, nec ejus proprietatum una est, sed aliquid ab illa & istis distinctum.

XXVI. Nos eam porro nec accidens connaturale naturæ esse dicimus: ita enim unio inter suppositalitatem & naturam accidentalis adeoq; ipsum suppositum ens per accidens esset; sed ultimum terminû hypostaticum, eumq; substantialè, quo omnis substantia individua in existendo ita completur, ut per se & sine omni alio sustentante actu existat. Et hæc plena fuerit subsistentiæ descriptio. Quâ ita se habente facilè etiâ, quid suppositum sit, liquet: ferè enim ut abstractum & concretum discriminantur, quemadmodum jam supra insinuavimus. Est igitur suppositum substantia singularis ultimò terminò hypostaticò, qui subsistentia dicitur, completa & terminata. Vbi primùm omniû vocabulû substantiæ occurrit: accidens enim existit quidem, sed non per se, verùm in alio ut subjecto inhesionis: unde etiam inexistere & inærere dicitur. Et hoc essentialè inter substantiam & accidens discrimen est. Deinde substantia illa, quâ suppositum importat, singularis dicitur: quando enim, quid inter naturam & suppositum intersit, quæritur, non comparatur natura specifica seu abstractè concepta cum indivi-

i. Post. 4.



individua sed individua ac singularis cum natura ut ultimo existendi termino completā. Vnde impossibile etiam est, ut suppositum individuationem, quam vocant, naturæ superaddat. Denique ultimo termino hypostatico completa dicitur suppositi natura: dupliciter enim natura aliqua compleri potest: uno modo essentialiter, altero hypostaticè. Priori modo anima rationis particeps naturam humanam complet, cum corpori, interveniente generatione, unitur cumque eo hominem constituit. Sola autem anima, solum item corpus incompletæ hoc modo naturæ vocantur, quia quodlibet eorū seorsim sumtū totam essentiā non absolvit, sed ad eam completandam suā naturā ordinatur. Posteriori modo idem fit, quando natura substantialis, quā ad ultimū gradū substantialē indifferentē esse diximus, ultimo illo gradu seu termino existendi, qui ultimum complementum est, ita completur, ut actu per se & non ab alio, ut sustentante, dependenter existat.


XXVII. Quibus ita explanatis, quid persona sit, obscurum esse non potest. Differt ea à supposito materialiter & ex parte naturæ tantum, non verò formaliter seu in ratione & modo incommunicabiliter subsistendi: persona enim intelligentes tantum naturas complectitur, suppositum autem ad omnem substantiam singularem sese extendit. Vnde si quis paucis se expedire voluerit, personā exactè satis per suppositum intelligens definiverit. Boethij definitio, quam plerique tamquam in Theologorum juxta ac Philosophorū scholis communiter receptam afferunt, ita habet: *Persona est rationalis nature individua substantia.* Cæterum defectus aliquis in ea notatur, nec immeritò præcipuum, quod ad personæ rationē pertinet, deesse dixeris; cum subsistentia, quæ ultimū terminū notat, prorsum omittatur. S. Thomas unius vocis additione defectū supplet, dum personā rationalis naturæ *primam* substantiā dicit. Alii additā voce *incommunicabilis* definitionē Boethianā perficiunt, eā significantes, personā, quæ talē, alteri personæ esse incommunicabilē. Optimè forsitan personæ natura definitur ad illum modum, ad quem suppositum numero præcedente descripsimus.


XXIX. Dicendum autē tum ita: Persona est intelligentis naturæ individua & ultimo actu hypostatico completa ac terminata substantia. Vbi rationalis naturæ loco intelligentē ponimus: rationalis enim propriè humana tantum natura est, non item angelica, multò minus divina; ad quas tamen personæ ratio etiā extenditur. Deus non ratiocinatur (id enim imperfectiōnē secū importat,) sed simplici intuitu, sicuti objectū suū visus, omnia cognoscit. Idē angelis tribuunt; quantā certitudine autē, alibi disquiritur. Personalitas deniq; à persona diffe-rit tantū, quantū à supposito subsistentia. Est igitur terminus hypostaticus, quò velut ultimò complementò natura intelligens ita terminatur, ut actu per se & nō in alio sustentante existat. Et ita terminorū, quibus duo præcipua mysteria fidei in scholis succinctè & nervosè proponuntur, germanas explicationes ibi indagavimus, ubi sedem suam habent.

SOLI DEO GLORIA.

1. part.
quæst. 29.
art. 1. & 2.







DISPUTATIO METAPHYSICA
DE
ESSENTIA, EXI-
STENTIA ET SVB-
SISTENTIA

QVAM

ADIVVANTE DEO

*Amplissimi Ordinis Philosophici in illustri ad
Elmum Julia permisu*

PRÆSIDE

M. IOHANNES LATERMANNUS
COBURGO-FRANCO,

Pro viribus defendet

DANIEL BROMBERGERVS
Nattendorffio-Luneburgicus.

In auditorio novi Iulii majori

ad diem XIX. Martii.

••••• (•••••)

HELMESTADI,
Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.

CIO IO C XLV.

